



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni  
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

**Christopherson, John**

**[Köln], 1569**

De virtute Pulcheriæ ac sororum eius, de singulari beneuolentia qua Deus  
eas prosecutus est. Capvt III.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12718**

ubi annuntiata essent euestigio accurrunt, Imperatrix & episcopus ad martyrium: Tum solutis per artifices ferreis istis vinculis, confestim sine negotio operculū extractum fuit: sub hoc autem multa unguenta, & in his pixides argenteæ duæ repertæ sunt, in quibus sanctæ reliquiæ iacebant: Tunc igitur Imperatrix Deo preces gratulatorias fundebat, tum quòd se tanta reuelatione dignatus esset, tum quòd sanctarum reliquiarum inuentionem assecuta esset: Post hæc præciosissima theca martyres honoratos iuxta venerabilem Thyrsū composuit, publica festiuitate, ut æquum erat, cum debito honore ac pompa ac psalmodiis celebrata. Cui & ipse ego interfui. Atque hæc quidem sic esse gesta testabuntur illi, qui huic festiuitati interfuerunt, omnes enim fermè adhuc supersunt, cum multo postea gesta fuerint, Proclo scilicet ecclesiam Constantinopolitanam gubernante.

*De virtute Pulcheriæ ac sororum eius, de singulari beneuolentia qua Deus eas persecutus est.*

CAPVT III.

Fama autem est, & in aliis quoque negotiis Imperatrici Deum quæ futura erant reuelasse, plurimæque tum huic ipsi, tum sororibus huius accidisse, quæ diuinum erga eas amorem testarentur. Nam & ipsæ quoque, idem vitæ institutum sectabantur, erga sacerdotes ac templa benignè affectæ, erga peregrinos indigos ac pauperes munificæ: mensa ut plurimum erat eadem omnibus, idèque processus, & simul Deum noctu iuxta atque interdiu laudabant, & pro honestarum mulierum consuetudine, texturis & huiusmodi operibus vacabant: Orium enim atque desidiam, quamuis Imperatrices & in Imperio natæ atque educatæ essent, sacra virginitate, quam profitebantur, indignam iudicabant, & ex vita sua reiecerunt: Qua de causa cum Deus illis manifestè propitius esset, earumque domum vindicaret, Imperator ipse, tum ætatis, tum Imperii amplitudine profecit, & quicquid insidiarum aut belli aduersus ipsum conceptum esset, sua sponte rursus dissoluebatur.

Dd

De